



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] in tactibus & osculis, & alijs huiusmodi illecebris constet peccatum
mortale? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Utrum in tactibus, & osculis consistat peccatum mortale?

745

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod in tactibus, & osculis non consistat peccatum mortale. Apost. enim ad Ephes. 5. dicit, Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Subdit autem, Aut turpido, gloss. * vt in osculis & amplexibus: aut stultiloquium, vt blanda verba: aut scurrilitas, quæ à stultis curialitas dicitur, id est, iocularitas. Postea autem subdit, Hoc enim scitote, intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Vbi non replicat de turpitudine, sicut nec de stultiloquio, aut scurrilitate. Ergo ista non sunt peccata mortalia.

1.2.9.74
ar.10. Et
ver.9.15
ar.4.cor.
Et mal.
9.15.a.2.
ad 18. &
Ephes 5.
cor.3. fin.
* gloss. in
ter. ibid.

¶ 2 Præterea, Fornicatio dicitur esse peccatum mortale, ex hoc, quod per eam impeditur boni prolis generanda & educanda. Sed ad hoc nihil operantur oscula & tactus siue amplexus. Ergo in his non contingit esse peccatum mortale.

¶ 3 Præterea, Illa quæ secundum se sunt peccata mortalia, numquam possunt bene fieri. Sed oscula & tactus & huiusmodi possunt quandoque fieri absque peccato. Ergo non sunt secundum se peccata mortalia.

SED contra, Minus est aspectus libidinosus, quam tactus, amplexus, vel osculum. Sed aspectus libidinosus est peccatum mortale, secundum illud Matt. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo. Ergo multo magis osculum libidinosum & alia huiusmodi, sunt peccata mortalia.

¶ Præterea, Cyprian. ad Pomponium * de virginitate dicit, Certe ipse concubitus, ipse amplexus, ipsa confabulatio & osculatio, & coniacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris &

li. x. epist.
ep. xi. cir
ca med.

Sec. Sec. Vol. iij.

T crimi-

criminis sit, confitentur. Ergo per prædicta homo reus criminis, id est, peccati mortalis.

RESPONDEO dicendum, quòd aliquid dicitur esse peccatum mortale dupliciter. Vno modo, secundum speciem suam: & hoc modo osculum, amplexus, vel tactus, secundum suam rationem non nominant peccatum mortale. Possunt enim hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam. Alio modo dicitur aliquid esse peccatum mortale ex sua causa: sicut ille, qui dat elemosinam, ut aliquem inducat ad hæresim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam. Dicitur est autem

1. 2. q. 74
ar. 7. et 8

supra *, quòd consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale, & non solum consensus in actum. Et idèd cum fornicatio sit peccatum mortale, & multo magis aliæ luxuriæ species consequens est quòd consensus in delectationem talis peccati, sit peccatum mortale, & non solum consensus in actum. Et idèd cum oscula & amplexus huiusmodi propter delectationem huiusmodi fiunt, consequens est quòd sint peccata mortalia: & sic solum dicuntur libidinosæ. Vnde huiusmodi secundum quod libidinosæ sunt, sunt peccata mortalia.

Ad primum ergo dicendum, quòd Apostolus idèd non resumat illa tria, quia non habent nomen peccati, nisi secundum quod ordinantur ad præcedentia.

Ad secundum dicendum, quòd oscula & tactus quamvis secundum se non impediant bonum prædictæ humanæ, procedunt tamen ex libidine, quæ est ratio huiusmodi impediendi, & ex hoc habent rationem peccati mortalis.

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa concludit quòd huiusmodi non sunt peccata secundum suam speciem.